

flatus, qui huius symptomatis causa fuit. Alui quoque excrementa in scrotum deuoluta, atque ibi retenta, voluulum significat affectum, per quem excitatur fœtidus vomitus, interdum stercus hominis redolens. Quinetiam vrinæ suppressio vitium in renibus, aut vretheribus, aut vesica significat: sed si renum vitio supprimitur vrina, dolor grauis lumbos exercet: abdomen totum tumescit, atque vultus. Quoties enim renum imbecillitate vrina ad vretheras pelli non potest, in peritonei sinum refluit, atque hydropem accersit. Ac si ex obstrictis vrinæ vijs ac ductibus vrina reprimitur, dolor ad vtrumque ventris latus pectinem usque exorrectus, ægrotū affligit. Supprimitur etiam vrina diuturnis vomitionibus, atque copiosis sudoribus, propterea quod à renibus & vretheribus ipsa ad ventriculum, aut totius corporis habitum refluit. Denique vrina supprimitur ardentibus febribus atque etiam delirijs, & magnis alui profluuijs.

*¶ A loco & situ sedes affectas & earum affectus dignosci.*

### CAP. III.

**S**Itus porrò tum doloris, tum tumoris, affectæ sedis index est. Propterea si dolor in dextro hypochondrio sentitur,